



**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvitiensis Ordinis S.
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac
sumptu haud ita modico ...**

Rupert <von Deutz>

Colonia, M. D. XXVI.

VD16 R 3796

De magna Roma, q[uo]d ip[s]a fuerit magna Babylonia, q[uam] diu
persecutione[m] co[n]tra cultores eiusde[m] trinitatis, quæ apud illa[m]
prière[m] Babylonia[m] clarificata est in illis tribus pueris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)

¶ Be magna Roma, quod ipsa fuerit magna Babylonia, q̄ diu persecutionem contra cultores eiusdem trinitatis, quę apud illam priorẽ Babyloniã clarificata est in illis tribus pueris.

Roma tropice Babylonia dicitur.



1. Pet. 7

Dan. 3

Ira res, ipsa, quę fuerat Babylonia quędam, Hierusalem facta est filia supernę Hierusalem, facta est & noua Syon, quę fuerat Babylonia. Illã, quę dicitur, urbem Romam dicimus, quia fuit Babylonia, & nunc est quędam Syon: est (inquam) secundum fidem beati Petri Apostoli mater ciuitatum fidelis Syon.

Similitudo tristitiam ad martyres Christi sub Romanis.

Vide historiã Egesi. li. 3. c. 2

Romanis imperio ad Christum conuersum.

Mat. 16. Danie. 3.

Tunc erat ista Babylonia, quando scripsit idem Petrus in epistola sua, salutem uos Ecclesia, quę est in Babylonia electa. Romam quippe tropice percussit ista sententia. Cum adhuc esset ista Babylonia, & rex eius Nabuchodonosor, scilicet Nero, siue Decius, aut Diocletianus, uel quiscunq; talium, ipsa cum Nabuchodonosor statuam erexit magnam & altam nimis, & populis tribubus & linguis edixit, ut cadentes adorarent statuam: & si quis profstratus non adoraret, mitteretur in fornacem ignis ardentis. Idolatriam quippe, quo ad positum illud caput orbis in sublime extulit: ex eo simulachra sua magis æmulatum est, ex quo nouam prædicationem audiuit unius dei patris & filij & spiritus sancti. Et ex eo uniuersam fere mundi latitudinem publicis edictis legibusq; scriptis, quasi unam fornacem ignis, uelut unum caminum multimodę tribulationis, atq; ardentissimę persecutionis, contra christianum nomen efficit. ¶ Sed quid profecit? Sicut angelus domini descendens in fornacem cum illis tribus pueris, excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quasi uentum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neq; contristauit, nec quicquam molestiæ intulit: sic filius dei, angelus magni consilij, cunctis testibus suis, confessionibus sanctę trinitatis, in illa tribulatione ita præsens interfuit, sic uel ex eo potest intelligi, quod uni ex illis Petro uisibiliter occurrens, adoratusq; ab eo, & interrogatus, domine quo uadis, respondit dicens: Veni Romam iterum crucifigi, & sic excussit flammam ignis de fornace, fecitq; medium fornacis quasi uentum roris flantem: sicut expertum sese ostendit martyr Laurentius, qui cum assaretur, dixit: O infania uestra. Infelices non cognoscitis, quia carbones uestri non ardorem mihi, sed refrigerium præstant? ¶ Quid multa? Sicut ille Nabuchodonosor, tunc quãuis instabilis & inanis, cognouit & confessus est filium dei. Dixit enim: ecce ego uideo uiros quatuor, solutos, & ambulantes in medio ignis, & species quarti similis est filio dei: sic & multo uerius, multoq; constantius, Romanum Imperium tandem cognouit filium dei, & nunc usq; firmiter tenet, tenendamq; pronunciat illam uocem confessionis beati Petri, tu es Christus filius dei uiui, ita ut etiam ad confessionem istam compellat gentes ceteras, & quodammodo dicat. A me ergo positum est hoc decretum, ut omnis populus & tribus & lingua, quęcunq; locuta fuerit blasphemiam contra deum Sidrach, Misach, & Abdenago: siue manifestius, contra deum patrem & filium, & spiritum sanctum, dispereat, & domus eius uastetur. Neque enim est Deus alius, qui possit ita saluare.

¶ Quam pulchrum sit mysterium, in eo quod dictum est, tunc hi tres quasi ex uno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant deum, & de fornace succensa septuplum, quã succendi consueuerat, quid ibi numerus septenarius valeat.

Caput .VI.

Psal. 97

Danie. 3

1. Johan. 7



Anguntur igitur organa, resonant uerba cantionum, prædicantia Deum in unitate trinum, in trinitate unum: succinente uoce Psalmi: Quoniam omnes dij gentium dæmonia. Hic autem dominus ccelos fecit. Quam pulchrum mysterium, quã iocundum in cælo & in terra spectaculum. Tunc (inquit) hi tres quasi ex uno ore laudabant & glorificabant & benedicebant deum. Et enim nos omnes homines, quorum est una catholica fides, sumus quasi tres, & unum os habemus omnes. Tres (inquam) sumus, quia de tribus pendemus. Quibus de tribus? Tres sunt (ait Iohannes Apostolus) qui testimonium dant in cælo, pater & uerbum & spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. Canticum nostrum siue uerba cantionum nostrarum, laudationes sunt, glorificationes sunt, benedictiones sunt, quasi ex uno ore trium flendo canentium, canendo flentium, canendo & flendo septenarium peccatum Babylonis, accusantium. ¶ Quomodo se-
ptenarius.